

rint, dissotiare mandat; cum tamen superius lex data venia dandos esse concedat, si postulatio intercesserit, hoc est in tertio vel quarto gradu.

Nunc videndum auctores ecclesiastici, quid ex^c hoc constituent.

In libro Levitico domino per Moysen statuente sic precipitur: *Om-* 35
*nis*⁹ *homo ad proximam*^d *sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudi-*
nem eius. Deinde currens per species ait: *Uxorem*¹⁰ *patris* non esse filio
sumendam, sed neque *matrem* filio copulandam, sed neque *filiam filii*
neque *neptem ex filia* coniugio sumendam, sed neque *filiam uxoris pa-*
tris, cum sit *soror* quamvis non eadem de matre, amitam quoque, quam 40
constat esse *sororem patris*, sed neque materteram, quæ *soror est matris*,
in uxorem accipiendam, *uxorem* quoque *patrui* non esse contaminan-
dam, sed nec ad *nurum* accedendum, ut *eius ignominia discoperiatur*,
fratris quoque *uxorem* non esse in coniugium sumendam sed nec *filiam*
uxoris, quamvis ex alio patre genitam, sed neque *filiam filii eius* vel 45
filiam filię illius sororemque uxoris ullomodo coniugio sociandam. Hę
sunt personę, super quibus specialiter libro Levitico decernitur, quas vi-
demus tertium quartumque gradum consanguinitatis non supergredi.

Videamus, quid tamen beatus Augustinus hinc sentire videatur. Ait
itaque sic in Libris questionum: *Queritur*¹¹, *quousque sit intellegenda* 50
ista cognatio, cum ex longo gradu liceat utique accipere uxorem semperque
licuerit. Sed intellegendum est ex his gradibus, quos prohibuit, non licere
*et secundum ipsos dictum: Quicumque*¹² *dormierit cum cognata sua, ubi*
et aliqua non commemorata intellegenda dimisit. //

c) marginal neben ex als letztem Wort der Zeile: au, der Rest des Wortes verloren Hs.
[Kürzel für auctores ?] d) r interlinear nachgetragten Hs.

9) Lev. 18, 6.

10) Uxorem – sororemque uxoris Übernahme der in Lev. 18, 8-18 aufgelisteten Verwandtschaftsgrade.

11) Queritur – dimisit aus Augustinus, Quaestiones in Heptateuchum III 76, MIG-NE PL 34 Sp. 485-824, hier Sp. 709f.

12) Vgl. Lev. 20, 10-22 bzw. 20, 20.